


05

A

317





D. O M. A.

De

PARACELSISTARUM

UNGUENTO ARMARIO

Dissertatio Philosophico-Medica,

Quam

P R Æ S I D E

JOANNE GEORGIO PELSHOFFERO, D.

Facult. Medicæ Professore P. & p, t.

Decano

Ad d. 23. Junii in auditorio Medico

Publicè respondendo defendet


M. HIERONYMUS WÆCKEL

VVittenbergensis.

Arist. 4. metaph. c. 6.

ὄχι ἂν ἔστι πᾶν τὸ φαινόμενον ἀληθές.

Non omne, quod apparet, verum est.



Wittenbergæ

Ex Officina Typographica Hæredum JOH. GORMANNI,

ANNO M. DC. XXX.

B. O. M. A.
D.

UNIVERSITÄT

LIBRARY

JOHANNES GREGORIUS

Facultät



M. H. T. O. N. Y. M. S. D. O. C. T. A. T. U. S.

50 A 377

Rechnung

...

...

...





DE UNGUENTO ARMARIO.

T H E S. I.

Quemadmodum is Deum honorat, qui ejus opera agnoscit, & qualia ab ipso condita sunt, admiratur & celebrat; ita in Deum injurius & impius est, qui rebus alienas & novas, quas à Deo & Natura non acceperunt, vires tribuit. Quod hodie faciunt Paracelsistæ, qui superstitiosa vel magica, & quæ ab imaginatione vel à causa superiori pendent, pro magneticis, seu per contactum virtualem, ut appellant, naturaliter in distans agentibus, venditare non verentur.

II. Ut enim de aliis opinionum portentis, & absurdis, quæ passim obtrudunt, dogmatibus non dicamus, quis adeò rerum imperitus est, qui nesciat, quantas hoplochrismati seu unguento suo armario, quod magneticum, sympatheticum, & stellatum vocant, affingant vires, toti Mundo persuadere conantes, vulneratum per aliquot etiam milliaria absentem, & rei ejus inscium, per medicamentum illud non ipsi vulneri, sed telo, quo vulnus inflictum est, vel lignello in vulnere cruento madefacto applicatum naturaliter curari posse? Quæ persuasio nonnullorum quoque magni nominis Philosophorum & Medicorum, ne de rudi & credulo vulgo dicam, animos adeò dementavit, ut in dubiam iis fidem adhibeant, & pro vi, quam unguentū illud habere isti contendunt, magnetica non aliter ac pro aris & focis pugnent.

III. Cū autem hoc partim saniori Philosophiæ adversetur, partim etiam sacre Medicinæ labem inferat non exiguam; & verò non parum referat, ut vera & ab ipso Deo profecta Medicina à superstitiosa curatione sejungatur & separetur: operæ pretium nos facturos existimavimus, si hac vice, quæ sit Martialis illius unguenti potestas, & cujus impulsu fiat, an Naturæ vel Dæ-

A 2

monis,



monis, altiùs paulo pensitaremus: cùm præsertim hæc materia à præsentis rerum statu, quo ubique ferè locorum Mars dominatur, haut sit aliena. Ubi tamen præmonemus, nos plurima eorum, quæ ab iis, qui primi hanc glaciem fregerunt, adducta sunt, repetituros, & mutuò quasi ab iisdem sumpturos: quâ liberali confessione id unicè præcavere cupimus, ne plagii, à quo crimine maxime abhorremus, nos quis arguere queat.

IV. Ut igitur jam ordine procedamus, primò omnium de Autore quæstio incidit. Non diffitentur autem ipsi Paracelsistæ, ante Paracelsum neminem curæ hujus hopliatricæ meminisse. Joh. Baptista Porta apertè ad autorem Paracelsum eam refert, qui unguentum illud Maximiliano Imperatori tradiderit & comprobârit. Crollius quoque in Basilica sua Chymica unguentum sympatheticum Paracelsi nominat, quod & alii faciunt. Sed sive inventor ipse fuerit, sive non, parum refert, & curare nihil attinet. Illud certum est, quod Paracelsus illustrator ejus amplificatorq; extiterit, quem postea præter istos, quos jam nominavimus, secuti sunt Joh. VVittichius, Jo. Ernestus Burggravius, & alii plures, qui fideliter id propagarunt & mirificè deprædicarunt. Verùm totam hanc curam à causa supernaturali dependere, & primarium ejus autorem Spiritum illum *μυριοτεχνίτην* dicendum esse, sponte sequetur ex iis, quæ dicentur.

V. Igitur ipsam unguenti compositionem quoad materiam, sive quoad ingredientia jam videamus, ex quâ vel solâ ipsius vanitas manifesta evadit. Nam bone DEUS quanta hîc occurrit varietas! Jo Baptista Porta recipit usneam in calvaria furis strangulati & in aere derelicti concretam, mumiam item, adipem humanum, sanguinem humanum, oleum lini & terebinthinæ, bolum Armenum. Aliorum descriptionem ingrediuntur adeps porci castrati, seu verris aprugni, adeps urfi antiquus, lumbrici terrestres purgati, vel ex vino loti, & in clibano exsiccati & tosti, sandalum odoratum, lapis hæmatites, cranium humanum, quod tamē, si haberi nequeat, non multum referre dicunt.

VI. Præter ista suam in compositionem Crollius etiam cerebrum aprugnum ficcatum, & loco cranii humani usneam è cranio

nio

nio hominis violentâ morte perempti, **D** crescente, & in bona
domo, **Q** is scilicet, si fieri possit, non **M** is aut **H** existente, ab-
rasam recipit, & hoc unguentum **O**le in **M** existente parari
præcipit. Nonnulli insuper mumiam, & quidam præter hanc
sanguinem & adipem humanum, quæ primam compositionem
ingrediebantur, etiam isti Crollianæ addunt. Sunt & qui tem-
pus præparationis angustioribus adhuc terminis includunt, &
circa 10. vel 11. diem Septembris duntaxat unguentum parari
jubent. Plerique verò in fracturis ossium aliquid de pulvere
radicis symphyti majoris, vel radicis hellebori nigri, aut osteo-
collæ addendum monent.

VII. Vidistis, lectores, mirificum mirificorum ingredi-
um chaos, ex lenientibus, glutinantibus, extergentibus, exsiccan-
tibus, & putredinem arcentibus congestum. Sed qui fit, quod,
cùm descriptiones tantopere variènt, & modò hoc, modò illud vel
omittatur, vel addatur, idè nihilominus in quibusvis vulneribus
sequatur effectus? In primis verò cur **V**ittichius usneam omit-
tit, & parum referre censet, sive cranium humanum habeatur,
sive non? cùm tamen alii usneam pro basi compositi agnoscant,
& præcipuum ingrediens esse contendant. Cur idem **V**ittichius
mumiam, adipem & sanguinem humanum, quæ alii totius nego-
tii succum & nervos esse censent, excludit? Ergo planè non ne-
cesse est ista adesse. Et est, qui novisse se scribit virum nobilem,
qui ad unguenti hujus confectionem nihil à patibulo, nihil à ro-
ta desumerit, sed sanctè affirmavit, omnia sumi ex hortulo do-
mestico, esseque meras herbas familiarissimas, & tamen nihilo-
minus idem confecerit, quod alii. Plures quoque milites se
scire addit, qui ex tempore id conficiant, ubi credibile planè
non sit, eos omnia illa adhibere, quæ à multis requiruntur, ma-
ximè quæ non nisi ab infelici arbore peti possunt.

IX. Ab unguenti compositione ad ejus effectum, seu famo-
sas illas, quas ipsi inesse somniant, vires progredimur. De his ita
fabulantur, quod hoc unguento sanentur omnia vulnera sine o-
mni dolore & tumore, quocunq; telo, sive metallicum id sit, sive
lapideū, sive ligneum, sive acutū, sive obtusum, sive angulosum,

A 3

sive

sive rotundum, & quocunq; modo, sive ictu, sive jactu, sive punctim sive caesim, cuicunq; etiam sexui inflicta, etiamsi patiens multis milliaribus absit, & ejus rei inscius sit, modò telum, quo vulnus factum, vel aliud subsidiarium seu succedaneum telum, aut saltem ligneum ramentam cruentatum habeatur, & vel unguento isti infigatur, vel eodem illinatur. VVittichius expressam mentionem facit intervalli 10. aut 12. milliarium, cum alii rubore suffusi nimiam intercapedinem excipiant, certumq; & determinatum spatium non expriment,

IX. Iterum attendite, quæsumus, lectores. Medici non sine causa diligentissimè attendunt variorum vulnerum variè & variis humani corporis partibus inflictorum differentias. At isti homines nihil distinguunt, sed audacter ponunt hoc effatum, quod hoc unguento omnia vulnera sanentur. Verùm tantum abest, ut ullum vulnus compositum & paulo gravius possit ab istis curari, ut tantum simplicia, nisi & hæc paulo graviora sint, vel non multum ab illis distantia, adeoq; vulnera duntaxat levia & minus periculosa curentur. Atqui hæc natura sola curare potest. Quoties enim digitorum lacerationes & incisiones, si tantum comprimentur vulnuscula, & deligentur, curari, & suo succo conglutinata ad sanitatem citra magnum dolorem, calorem, humorem, suppurationem, & alia perducere videmus?

X. Quod si verò graviora quoq; istâ administratione sanescant, fit hoc in corporibus bene habitis, non cacochymicis, non morbidis. Probent suam artem, nullâ præterea adhibitâ curâ, si viri sunt, eo in casu, quando tendines & ligamenta fuerint sub poplite fauciata, incisaq; cum nervis. Probent eandem artem in vulneribus cerebri, qualium curatorum exempla ex diversis Medicorum scriptis annotavit & congeffit Schenckius. Sed bene se res habet, Tam evidens enim ea est, ut neque ipsi hopliatri negare id audeant sed sponte fateantur, non procedere curam in iis vulneribus, ubi nervi vel arteriæ, vel una è principalioribus corporis partibus læsa sit.

XI. Unum hic penè silentio præteriissemus. Omnibus Medicis & Chirurgis plusquam notissimum est, solutionem continui
in

in animalibus non contingere sine omni dolore, neque in parvis etiam vulneribus adesse indolentiam. Hi itaque non facile persuaderi sibi patientur, ut credant id, quod de sua hopliatri promittunt curatione sine dolore. Nam vel eam non præstant, vel Cacodæmone singulariter operante eam perficiunt. Hunc siquidem efficere id posse, ut doloris sensum adimat, ubi alioqui doloris causæ sunt quàm gravissimæ, in veneficis rerum capitalium quæsitores sæpissime deprehendunt. Cùm itaque hæc indolentia, ut dictum, vulgo ignota sit, etiam in parvis vulneribus, & Diabolus eam præstet etiam in maximis malis, quomodo potest non esse suspecta etiam ex hoc capite hopliatrica curatio, quæ eam pollicetur?

XII. Sed properamus ad ipsum usum seu utendi modum, quem priusquam præscribant, duo præmittunt, quæ partim ante, partim ante & post inunctionem diligenter observanda sint. Ante inunctionem vulnerato sanguinem cumprimis quàm citissimè sisti præcipiunt. At hoc est initium curæ, quod sæpe solum sufficit ad integram sanitatem, ut apparet in arteriotomiis & venarum incisionibus. Quis autem fit, quod, si vulnus sanare potest sola teli inunctio, sanguinem sistere non possit, cùm tamen lapis hamatites ingrediatur compositionem unguenti? Ante & post inunctionem verò eo die, quo inungitur telum, abstinere volunt vulneratum à Veneris usu, & per totum curationis tempus congruam diætã uti, præsertim si enormiter fuerit læsus. Mirum, quod non etiam hic magistrum suum, Paracelsum dico, sequantur. Is enim ad morborum curationem diætã adeò non necessariam esse existimavit, ut nullam victus rationem in curatione ulcerum etiam deploratissimorum eum præscripsisse aut observasse homines fide digni referant.

XIII. Sequitur nunc ipsa curandi ratio, quæ complectitur, quæcunq; ex præscripto ipsorum ad ritè illinendum unguentum observanda sunt, unguendi modus scilicet, ceremoniæ, locus, tempus, & cætera. Ubi primò omnium de subjecto, quod illi inungunt, quæritur. Docent autem, inungendum esse ferrum vel telum, quod sauciavit; si id haberi nequeat, aliud per vulnus cruentum

cum semel tantum ducendum, & loco veri teli illinendum esse. Nec tamen opus est, addunt, id ferrum esse, aut telum: sufficit in hujus defectu lignum seu ramus salignus in vulnere cruento madefactus. Itaque tria sunt diversa, quae unguento suo imbuunt: telum vulnificum, aliud telum vicarium, lignum salignum.

XIV. Sed dicant nobis, quid inungendum confractis contusisque; toto corpore à casu, quale exemplum Hollerius recitat? Verum quam ineptae haec sint ineptiae, & vana deliramenta, non tantum ex sequentibus patebit, sed colligi etiam disertè potest ex aliis rebus, quibus alii armarium unguentum illinunt. Neque enim omnes unguentarii iisdem se legibus adstringi & in tam angustos fines cogi patiuntur, ut curam suam in solis telis aut salicibus exercent; sed sunt, qui thoraces curent pro pectore, caligas pro femore, calceos pro pede. An non reverà haec risu dignissima?

XV. At & ista à vulnere sunt cruenta, inquiunt. Est ita, fate-mur. Sed cur in telo potissimum tentatur curatio, cum saepe nihil in telo sanguinis sit, & saepe is abstergatur? Cur non potius vestimenta vel lintea, in quae sanguis multo copiosior defluxit, deligantur? Quid si quis lapidem aliquem cruentatum vulnere sanguinante, vel vaginam pro gladio ungeret? Cur enim lignum & non lapis vel aliud quid posset substitui ferro, si non intercedit pactum diaboli ad illud, non ad hunc concurrentis? Sanè si ideò in telo fieri sanationem necesse est, quod in telo aliquid laesae partishareat, certè non videmus, cur non in quovis alio subjecto, in quod sanguis ex vulnere decidisset, ea fieri posset. Sed rectè stipites vel similes res inanimas & exsenses jubent unguento illo pol-linari: nec enim alio subjecto dignius est.

XVI. An non verò histrionicum planè est, instrumentum subsidiarium, sive sit improbum ferrum, sive lignum salignum, per vulnus, quod sanandum, demum ducere, & crudeliter illud renovare, cum tamen non tantum citò & tutò, sed etiam jucundè, quantum fieri possit, curandum esse ipsimet tam acriter urgeant, & subinde inculcent? Tantum tamen abest, ut crudele id esse putent, ut ex abundanti adhuc moneant, eo usque, si sanguinem e-

mitte-

mittere nollet, vulnus fricandum esse lignello, donec sanguis
effluat.

XVII. Sed de ligno sponte suâ cuius nova occurrit quæstio,
cur salignum esse lignum oporteat? Certo certius autem esse vi-
detur, quod ad affectum spectat, nihil ad rem pertinere, ex qua
arbore id lignum sumatur. Credibile itaq; est, impiam aliquam
Diaboli fraudem subesse, cur salice, quàm aliâ arbore eos uti ma-
lit. Ut autem aliæ arbores alias proprietates, ut reliqua rerum
creatarum, obtinent, quas accuratè novit damnatus ille spiritus:
ita salix sterilis planè est arbor, nullum præbens fructum, atque
insuper sui seminis prodiga, dum illud ante maturitatem projicit
& perdit. Unde & apud Homerum Odyss. 11. à Circe trivenefi-
ca $\omega\lambda\epsilon\sigma\iota\kappa\alpha\rho\pi\epsilon$, id est frugiperda vel seminiperda vocatur. Vo-
luit videlicet Diabolus vos, Unguentarii, amarè irridens eâ po-
tissimùm arbore uti, quâ ipsimet apertè profiteremini, vos frustra
in histrionica vestra unctione laborare, omnem operam, oleum,
sanguinem, adipem, mumiam, usneam, unguentum ipsum, deniq;
omnem fructum & frugem perdere.

XVIII. Adhæc eodem apud Homerum loco eadem Circe
in nemoribus Proserpinæ nasci salices ait. Ex his igitur nemori-
bus præcisum est vestrum lignum, sive ramus salignus, quem un-
guento immergitis. Sacris quoque in literis infelix arbor cense-
tur salix, ut apparet ex Esaiæ cap. 15, ubi Moabitis supplicium
prænuñcians ad torrentem salicum eos ductum iri minabundus
addit. Ipse autem Dominus Job. 40. Behemoth, id est Caco-
dæmonem umbris delectari, & proinde à salicibus torrentis cir-
cumdari ait. Ex hoc saliceto vos, unguentarii, lignum vestrum
præscinditis, & vice teli inungitis.

XIX. Modus unguendi, ut ulteriùs progrediamur, duplex est.
Prior ita peragitur. I. Inungendum telum, quo homo vulnera-
tus est, singulis diebus, si necessitas urgeat, & vulnus sit ingens, aut
citò patientem sanare cupias; sin minùs, secundo vel tertio die
semel. II. antequam telum ungetur, attendendum, an punctum,
an cæsum vulnus factum sit. In punctura inungendum telum à
cuspide versus capulum; in cæsura ab acie versus tergum; alioqui

B

nocu-

nocumentum adferetur a grotanti. III. Si non appareat, quam
altè sit infixum telum, illud totum perungendum; sin appareat,
pars illa tantum, quæ fuit in vulnere. IV. Si instrumentum, quo
vulnus inflictum est, haberi nequeat, aliud ducatur per vulnus, &
loco veri teli inungatur, utroq; latere. V. Mundo linteolo invo-
lutum seu deligatum telum loco mundo & temperato, non nimis
calido, nec nimis frigido, ne ventus afflet, reponatur, diligenter
cavendo, ne pulvis desuper in ipsum cadat. Alioquin patiens ad
insaniam redigetur, vel dolor aut aliud damnum ei inferetur.
Hinc si dolorem excitare velint, telum aëri inter se calido vel fri-
gido exponunt; si iterum sedare, ad calidum moderatè id reducunt.

XX. Posteriores modum quod attinet, instrumentum vul-
nificum ipsi unguento infigitur, & ita relinquitur: aut si verum
telum haberi nequeat, ramus salignus, quem ejus vice accipiunt,
cruentatur, & postquam sanguis adhærens sponte & per se sicca-
tus est, itidem in unguentum illud in pyxide asservatum immer-
gitur usque ad sanationem plenariam. A quo superstitioso
operandi modo non multum abludivulgus, qui cultrum, quo
vulnus est factum, in panis micam, in terram, in lardum, arvinam
vel aliud pingue infigit, & persuasum habet, modò non expona-
tur aëri, sine suppuratione curatum iri vulnus. Utrobiq; verò
vulnus ipsum seu locum vulneratum non necesse esse dicunt, ne-
xibus filorum conducere vel consuere barbitonorum more, sed
sufficere, si quotidie tantum illud, præsertim si magnum & pro-
fundum sit, expurgetur, seu extergeatur, & linteolo mundo in
patientis urina prius madefacto, sine omni alio usu extraneorum,
oleorum, unguentorum, & similibus, circumligetur.

XXI. Verum enim verò cum prior ille modus non tantum
non paucas molestias & nugatorias cæremonias habeat adjun-
ctas: sed multis etiam constet observationibus, in quarum una
aberrasse, quod tamen facile fieri potest, ex ipsorum quidem
sententia periculi plenum; alter autem modus multo facilior sit:
si tam certus is est, ut prædicatur, cur illo omissio hic non retine-
tur solus? Cur non semper ferreum quoque instrumentum, sicut
ligneum, infigitur potius unguento, quam inungitur: cum hoc
fiat

stat sine periculo, inunctum autem ferrum facile à pulvere lædi
possit? Et quid quæso causæ est, quod lignellum cruentatum non
opus est quotidie inungere, ut telum? Quàm frivolum autem
hoc est, citius curari vulnus, si sæpius ungetur telum, curari verò
nihilominus, etsi unicâ tantum vice illinatur? Quid enim opus
est, hopliatri, sæpius inungere, cum balsamum vestrum radicale
ex suspenso calva sumptum corrumpi non possit, & deficere ejus
energia? Si enim posset, quomodo non periit in patibulo, à tot
ventis agitatum, & imbribus, nivibus, tempestatibus maceratum?
Quod si vis unguenti est immortalis, quæ est ista vestra profusio,
qui tam pretiosum thesaurum frustra sæpius sordido ferro affri-
catis?

XXII. Quis verò ullam, saltem absurdam causam fingere
potest, quod, an punctum an cæsum factum sit vulnus, attendere,
& pro diverso modo diversimodè inungere jubent? Si enim un-
guentum naturalem causam habet, quid iste modus ad rem facit?
nec enim iste modus unguento aliquam qualitatem superaddit.
Immò utrovis modo linas lignum, ex tuo arbitrio pendet, utra su-
perior sit pars, vel inferior. Quid faceres, si capuli contusione,
perinde ac si punctum, foret vulnus factum? Et qui sit, quod, si
nullo apparente vestigio totum telum inungatur, non noceat,
etiamsi punctum factum sit vulnus? Cur etiam non semper totum
telum inungunt? Timere scilicet videntur, ne liberalius unguen-
tum fundendo pyxis unguentaria æquo citius exhauriatur. Telum
inunctum etiam obligant & ab aëre intemperato remoyent. Cur
hoc? fortè ne frigeat miserum, & cephalalgia aut vertigine la-
borare incipiat? Obligatio si habet aliquam vim, non in telo eam
habet, sed in vulnere, quod itidem vincitur, dum in eo hamor-
rhagiam cohibet, calorem & spiritus coerces, aëremq; corrupti-
vum & alias externas injurias avertit.

XXIII. Vulnus ipsum deniq; expurgare jubent & eluere uri-
nâ, ac obligare. At hoc curæ totum est, maximè in vulneribus sim-
plicibus, adeò ut relictâ ista medicinâ nihilominus sequatur effe-
ctus, sanatio scilicet, si vulnus ritè tractetur, ægerq; bono & non
cacochymo victu simul utatur. Ita bestia, ut canes & ursi, solâ

ambitione, absq; unguento armario, sua ulcera & alia perfanant, in quod homo etiam utitur sputo: quod non tam linctui salutaris, quam mundificationi seu repurgationi per crebrum linctum procuratae, ex qua vulneris consequatur consolidatio, adscribentium merito iudicat Mindererus in threnod. Med. c. 14. Sæpe igitur decipitur vulgus, quod vulneris abluitionem, obligationem per lintea, stupam, & alia in nullo medicinae loco ponit; cum, ut modo diximus, debita vulneris obligatio, aëris alieni accessus prohibitio, & phlegmones hæmorrhagiæq; averfio plurimum habeant momenti. ne repetamus, quod supra diximus, multa sua sponte seu naturæ suæ motu convalescere. Quorsum ergo illa deliria teli obligati?

XXIV. Impudens nimis mendaciū est, quando dicunt, dolorem inferri, vel noxam excitari in vulnere, si aëri intemperato exponatur telum; nullū autem esse, vel iterum removeri, si calido loco extra pulverem collocetur. Dicimus, nec semper aut plerumq; hoc fieri, nec, si fiat, naturale quid esse, sed fortuitum aut dæmoniacum. Quod si enim vulnus sit in loco nervoso, dolor sentietur, sive instrumentum in aëre, sive aqua, sive igne, sive calido, sive frigido loco ponatur. Cum autem jam sanescere & glutinari inceperit, dolor cessabit. Si quis cultro vulnerat digitum leviter, at non sine dolore, adductis labris vulneris & compactis cessat dolor; si diducantur, redintegratur, nullā habitā ratione cultri.

XXV. Quid dicamus de sclopetorum vulneribus, quorum glandes sæpe aquæ immerguntur, sæpe in aëre manent, innitentes terræ summæ? Quid de sauciatis militibus? Ibi certè ii, qui vulnerarunt, non à fornace ponunt instrumenta sua bellica, quin imò parati sunt strictis armis in acie. Semperne ergo dolebit vulneratus, si hasta semper sit in aëre libero? Si telo non præsentem cruentum lignum, vel aliud telum vicarium sumatur, tunc telum ipsum, quo factum erat vulnus, non potest tam accuratè servari. Cur igitur non dolet pars, telo non recondito?

XXVI. Cur multo sanguine temerè effuso diuq; in aëre degente non ad hunc potiùs dolet? At quis nescit, plus semper aliò, quam

quàm ad telum pervenire? Quantum enim effunditur in terram, vestimenta, & alia, vel abjicitur & putredine absumitur? quantum eluitur? quantum unà cum sordibus extergitur? Hic an nullas obtinet vires? an nihil cognati habet cum vulnere, ut ita eadem passio ad vulnus perveniat? Si habet, cur non ad hunc potius respicitur, quàm ad illum? Imò cur non totum habere oportet? Cur non, si plus pereat, quàm servatur, damnum vel ex toto vel dimidio, aut certà quadam parte inducitur vulnere? Cur, si lignum, in quod sanguinis aliquid decidit, comburatur, aut linteum cruentum eluatur, non similiter uritur vulnus, aut friget, aut utrumque patitur, si utrumq; accidat in diversis lignis aut linteis?

XXVII. Adhæc, si virtus debet pervenire à telo ad vulnus, non est ratio, cur non aëri expositum telum cum unguento facilius & melius sanet. Nam in libero aëre melius posset perferri ad patientem, quàm in loco concluso. Qui fit tandem, si, dum telum à pulvere, aut aëre vel frigido vel calido alteratur, æger noxam sentit, quod tamen vulnus quotidie purgandum est? an non sufficeret telum tantum ab externa injuria defendere? Sed cessandum est ab his nugis.

XXIIX. Videamus nunc etiam, prognosticum quomodo instituant. Id verò tale est. Si scire quis cupiat, utrum patiens sit moriturus vel supervicturus, ferrum vulnificum supra carbones leniter incalescere sinunt, in tantum scilicet, ut manus desuper teneri queat: tum subtilissimum pulverem è sandalo rubro & lapide hæmatite aspergunt. Et si observent exsudantes sanguinis guttulas, seu rorem sanguineum, moriturum; sin minùs, evasurum affirmant ægrum. Eodem modo, si cognoscere velint, utrum ex præscripto se gerat in cibo & potu aliisq; requisitis, an verò diætæ imperatos limites transgrediatur, diligenter explorant, an in telo maculæ appareant, nec ne? Si enim appareant, delinquentem; sin minùs, obædientem eas prodere ægrum opinantur.

XXIX. Verùm si hæc non sunt vanitates vanitatum vanissimæ, nescimus, quid vanitates sint. Quàm ridicula enim est illa exploratio victuri & non victuri? Qualis est consequentia? telum ferreū vel lapideū calefactū & pulvere rubro conspersum rubras.



exsudantes habet guttulas : Ergo non est victurus vulneratus. Nullam esse, quivis agnoscit, cui sanum est synciput. Ipse nimirum pulvis, si humidior telo est, spiritum reddit humidum, teli calore extractum. Quàm vanum etiam hoc est, quod peccari in diæta concludunt, si maculæ in telo deligato appareant? Alluvio enim quædam in eo, maximè si læve est, nascitur, pulvis autem facile adhæret; inde macula est.

XXX. Audiamus nunc porrò, quomodo hanc tam prodigiosam curationem asserant & defendant hopliatri. Palmarium autem argumētum, unde suæ curationi subsidium petunt, sumunt ab effectu, qui in Magnete spectatur, qui est ferri distiti attractio; quod tanti faciunt, ut suam hanc curam ex facultate unguenti magnetica procedere dicant, & magneticam eam vocent, quod, quemadmodum magnes in distans agit, ita unguentum in absens vulnus agat, dum illud remotum curet. Quomodo autem illud fiat, & quomodo unguenti vis per aliquot milliarium spatium feratur, propagetur, & loco vulnerato communicetur, seu quisnam sit magneticæ curationis modus, si quæras, sympathiam inter vulnus & unguentum ipsum hîc esse respondent, quæ sit continuatio quædam naturæ ejusq; convenientia mediante spiritali vinculo facta, non aliter ac inter ferrum & magnetem: tamen si enim distita sint magnetis & ferri corpora, in iis tamen ita naturam continuari, ut etiam convenient in unum.

XXXI Itaq; totam rem ita explicant, ut dicant, vim magneticam unguenti attractivam in spiritu balsamico, qui in usnea, & sanguine humano, mumia, & adipe humano potissimum lateat, residere; hanc autem excitari seu potius evocari à spiritu mundi corpora ac res mutuo quodam naturæ nexu sibi devinctas disponente, qui tanquam vinculum medium primò ex definitis & propriis constellationibus sympathiam & copulam seu convenientiam inducat, & postea hâc mediante vim unguentariam & virtutem sanativam in spiritu balsamico fixam dirigat ac deducat ad partem usq; vulneratâ ipsumq; vulnus; atq; ita vim unguenti, quo telum delibutum est, magneticam à telo propagari ad vulnus propter sympathiam, seu naturæ cognationem ac conti-
nua-

uationem, quam sequatur successiva impulsio per medium aërem spiritu isto stellato imprægnatum, concurrente simul phantasia & imaginatione patientis, quæ plurimum hîc habeat momenti tum ad balsamicam in sanguine virtutem à telo medicato atrahendam dirigendamq; ad partem corporis malè affectam, tum ad movendum principium sanativum in corpore existens.

XXXII. Primò nimirum considerandum, inquit, subjectum seu materia in qua, ipse nimirum sanguis, qui in telo hærens idem est cum eo, qui in vulnere: secundò causa efficiens à qua, quæ est spiritus mundi secretus, universalis, per cuncta diffusus, & omnium, quæ fiunt, proximus autor: tertio causa instrumentalis, sine qua non perficitur cura. Dicunt igitur nonnulli, unguenti Martialis basin esse usneam, quæ in se concentratum habeat spiritum naturalem, vitalem & animale, atq; ex strangulati potius quam alterius cujusdam capite petenda sit. Cum enim strangulantur homines, spiritus naturales, imprimis verò vitales ob præsentiam mali præsentis sursum in caput & cerebrum refugientes ferri, ibidemq;, cum nec regressus ad principium suum, ob violentam illam constrictionem, nec exitus propter solidam cranii duritiem ullus pateat, remanere atq; inter suffocandum unà cum spiritibus animalibus balsamoq; capitis ac cerebri mistos & confusos includi, & quasi carceribus quibusdam circumscribi, ita ut, licet omnes functiones animales intereant, calor tamen ille in ossibus, nervis, aliisque partibus similaribus elementaris maneat, donec temporis progressu in unum coalescant, & foras ad cranii circumferentiam erumpant: hinc cooperante cœli influxu & accedente Mercurio seu spiritu mundi à Neptuno per pluvias, rorem, nivem, pruinas, tanquam externa vehicula, in hæc inferiora effuso, seu vegetabili quadam vi & virtute, in calvaria tandem fieri usneam, basin scilicet hujus medicamenti, quæ in se contineat omnes virtutes animales, naturales, & vitales, quas eodem modo postea ipsi unguento cõmunicet. E sanguine autem vulnerati, dum ille adhuc spirans è vulnere manat, spiritus volatiles quidem illico in aërem evanescere, spiritus autem sali sanguinis fixo inhaerentes non expelli.

XXXXIII.

XXXIII. Cum igitur, pergunt, telum inungitur, statim sal fixum sanguinis in telo allicere & attrahere vi magneticâ & sympathetica spiritum animale ex unguento, & mediante spiritu mundi (ut qui hos duos spiritus, spiritum sanguinis scilicet & spiritum animale in mumia & usnea coagulatum, amicabili nexu & copulâ uniat & jungat) congeneri suo in venis sanativam vim communicare. Hinc quodcunque commodum vel incommodum spiritus ille extra venas coagulatus sentiat, id statim congeneri suo in venis residenti sympatheticè communicare, mediante eodem spiritu mundi: hinc si telum non rectè se habeat, sed vel igni admoveatur, vel aeri frigido turbidoq; exponatur, ægrum dolere, quia scilicet spiritus animalis, qui est extra hominem in telo, prius patiat, & postea passionem suam communicet illi, qui intra corpus ægri est, per idem vehiculum: & vice versâ, si æger pravâ victus ratione utatur, & vel cepas, vel allium, vel sinapi comedat, aut vinum bibat, aut Venerem exerceat, id statim in telo observari, quia nempe spiritus animalis in homine prius patiat, & passionem suam postea illi, qui in telo est, ut sibi homogeneo, communicet.

XXXIV. Intellexistis ita, lectores, quasnam hopliatri afferant & tradant unguenti sui vindicias. Verùm quàm labili & infirmo omnia nitantur fundamento, ecquis non videt? Ipsam enim facultatem magneticam, quam hic prætendunt, quod attinet, quis inter magnetis & unguenti armarii applicationem nullam similitudinem esse non deprehendit? Nam primùm distantia quantum distat! Magnes in ferrum diffusum agit, illudq; allicit, sed modico admodum spatio. Ferrum accedit & sequitur, sed non longo itinere. Propè enim admodum abesse oportet. Quod si unguentum suum vulnere propinquum adstitui juberent, persuaderent fortasse, vaporis aliquid eò derivari, ac per eum fieri sanationem: Verùm ad plura passuum millia suam energiam diffundere unguentum istud, probabile omnino non est.

XXXV. Deinde si effectus spectetur, is à Magnete quidem unus & simplex est, ferri scilicet attractio. At armarium unguentum, dum vulnus sanat, quàm multa præstat! Corruptum sanguinem

nem exhaurit, saniam ab imo educit & expellit, putredinem ar-
cet, conglutinat, & consolidat, cutemq; inducit; quæ omnia ægrè
à variis unguentis & emplastris sæpe præstantur, etsi intimè vulne-
ri jungantur. Porro agentia ipsa quàm dissimilia! Magnes na-
turale corpus est & unum, & in lapidum genere; at unguentum
arte compositum, idq; è pluribus diversi generis. Præterea modus
applicationis si attendatur, nec is cum magnetis applicatione
quicquam habet simile. Hic enim ut ad certam distantiam in fer-
rum agat, semper eodem modo applicatur. At in unguento ap-
plicando quàm dextri adhibeantur modi, antea expositum. Sed
maximè omnium diversitas apparebit, si attendatur, cui magnes,
cui unguentum ad suum effectum obtinendum admoveatur vel
applicetur. Admoveretur autem magnes ferro, quod alliciendum
est, non alteri alicui. At unguentum magneticum applicatur telo
vulnifico, non ipsi vulnere, quod sanandum, etiam per aliquot
milliaria absente ægro.

XXXVI. Quamobrem nil illi proficiunt somnio virtutis
magneticæ, quæ magna ex parte asylum est stultitiæ & vanitatis
Paracelsicæ. Licet enim non negemus, sed ut certum & plerisq;
omnibus Philosophis admissum asseramus, esse etiam occultas in
rebus naturalibus proprietates & qualitates, per quas multæ a-
ctiones naturales fiant; & necessarium non esse semper in actio-
nibus naturalibus contactum corporeum, sive substantiæ, sed in
quibusdam contactum virtutis sufficere, libenter concedamus:
tamen hoc nullo modo concedimus, inde effici, ut unguenti ar-
marii vis ad vulnus remotum eo modo, quo ineptè credunt, &
persuadere volunt, deferatur. Etiam si itaque concedantur actio-
nes virtuales: tamen eæ non nimis latè extendendæ sunt. Nec eo
se expediunt, quod amuleta nobis objiciant, & remedium non
semper parti malè affectæ applicari, amuleta exempli loco addu-
cant. Habet enim Pœonia vim Epilepsiæ medendi; & alia amuleta
alias vires obtinent in corpora; sed in propinqua, non in longè
remota.

XXXVII. Si verò jam ulteriùs quærat, quâ ratione virtus il-
la, quæ unguento inesse dicitur, magnetica à telo unguento deli-
buto

C

buto

buto propagetur, & ad vulneratum absentem ac vulnus perveni-
at, & quomodo ea, cum accidens & qualitas sit, possit è subjecto
per tantum intervallum se diffundere, atq; de subjecto in subje-
ctum migrare, nihil ipsi respondent, sed magis muti sunt quam pi-
sces. Et qui possunt vel probabile quid afferre? Nec enim, si ipse
etiam Dæmon auxiliaris adhiberetur, eo modo transferri posset
hæc vis magnetica, uti illi sibi imaginantur: cum nequeat acci-
dens sine subjecto trajicere quoquam. Dicunt tantum, cur fiat,
aut potius fingunt, nempe propter naturæ cognitionem. Verum
cum majoris quanti per se major sit virtus, & potentioris motus
sit fortior, quis negabit, copiosioris sanguinis majorem esse vir-
tutem, & motum etiam fortiolem? At quis nescit, plus semper
aliò, quam ad telum pervenire, & sæpe postea corrumpi? Cur igitur
non ad id, quod effluxit, potius, quam ad id, quod telo adhæ-
ret, respicitur? Cur non potius vestimenta vel lintea, quæ sangui-
nem multo copiosiorum exceperunt, & viciniora quoq; loco af-
fecto sunt, quam telum, deligantur? Qui fit, quod vulnus non po-
tius moveatur ad corruptionem & putredinem, quam ad sanita-
tem?

XXXVIII. Et quid dicent ad hoc, quod sint, qui neque telum,
quo vulnus factum, neq; sanguinem, neq; fictam illam cognatio-
nem attendentes, ubi vulneratum sanare aggrediuntur, tripodem
domi suæ obligant, & curam in illo instituunt solennem? cum is
tripus nunquam vulnus aut vulneratum attigerit, aut aliâ ratione
ei cognatus sit; & tamen æquè succedit sanatio. Satis enim est ef-
se à Diabolo tanquam signum ad id destinatum. Idem contingit
& hîc in deligatione & inunctione teli. Parum enim ille curat,
quid adhibeatur, quid non; dummodo decipiat.

XXXIX. Porrò quod continuationem adjungunt, planè in-
tolerabile est. Sic quæcunq; aliquâ ratione cognata sunt, conti-
nuabuntur, quantumcunq; loco distent. Continuationem sequi
successivâ impulsione dicunt. Quid illa? à quo? ad quid? si enim
est continuatio, quid opus impulsione? aut quid impellas virtu-
tem à telo ad vulnus, cum virtus ab illo ad istud continuetur?
Hanc impulsione addunt fieri per medium aërem. Verum pro-
hibe-

hibetur hic tam à teli, quod obligatum includitur, quàm à vulne-
ris accessu. Immò ipsi etiam hoplochristæ de aëre dicunt, quod
in eo locatum telum noceat vulneri. Itaque propriâ assertionem
seipso evertunt. Et mirabilis res videtur inde consequi. Si enim,
quod nonnulli asserunt, curatio, quæ in telo administratur, per
vim magneticam parti malè affectæ eo modo cōmunicatur, quo
odores cadaverum per multa milliaria ad vulturū nares credun-
tur pervenire; cū plurimæ res intra istud spatium sint, quæ
vim ejus habent, & simili sunt naturâ: cur non citra unctio-
nem quodvis vulnus curatur? Nam si per tantum spatium agit
unguentum, & tangit vulnus, tanget etiam telum. Et sic non re-
feret, utram quis inungat tela, an non. Nam sponte vel o-
mnium medicamentorum virtus ad ista per aërem acce-
det.

XL. Quid verò faciunt, ubi alia corpora occurrunt, ut in-
gentes montes, aggeres, muri? An & hæc omnia imprægnata
sunt? Nam de aëre dicunt, eum spiritu stellato, & primario
quodam ac magnetico vigore & potentiâ esse imprægnatum. Sed
meræ hæc sunt vanitates, mera figmenta. Quæ enim naturæ
virtus per tot milliarium spatium feratur, sincera præsertim &
citra alterationem? In tanto siquidem intervallo non halitu
tantum ille miscetur, sed & pluviis, & à ventis motuq; in diver-
sas regiones procul à patiente abducitur. Et cū odores & soni
cum aëre à ventis rapiantur, nec nisi immensâ vi per longinqua
ducantur, quomodo non ista vis unguenti raperetur & dissipare-
tur?

XLI. Accedit, quod nec ipse aër ubivis locorum similiter se
habet, tum à subjectis locis mutatus, tum ab omnis generis
constellationibus. Cū enim cœli vis influat mediante aëre,
utpote qui planetis subjectus ab omnibus dispositionem ali-
quam accipit, tempestatum quoque variationes non parum affi-
ciant corpora, & potissimum sentiantur in locis imbecillioribus,
sicut chirurgis id notum est; sæpissime autem fiat, ut sit cœli
constitutio infensa rei læsæ tunc, cum læditur, duretq; interdum
diutius, & tempestates quoque variè sæpe mutantur: quomodo

non alteraretur ab aëte innumeris qualitatum differentiis discreto? & quantâ quæso varietate, modò damnum, modò adjumentum, modò anceps fortuna attraheretur vulneri? Tam forte autem esse unguentum præparatum, ut omnem cœli adversam vim avertat, fieri nullo modo potest. Aut ergo non inchoabitur, aut int' errumpetur cura.

XLII. Verùm posito, nondum tamen concesso, per sylvas, campos, maria, flumina, muros, ædes, conclavia, vestes, & reliqua pertingere posse vim à telo medicato ad partem vulneratam: non semper tamen eodem modo dispositum corpus patiens reperiet, nec uni determinatæ parti tantùm se applicabit; cùm idem homo sanguinem & spiritus non una in parte habeat. Nam si idem corpus aliud vulnus interea acciperet, quis quæso dirigeret vim illam magneticam, ne erraret, & vel utrumque vulnus involaret, vel aliud, quàm illud, quod ab hoc telo factum? Neque enim cœlum, quod pluribus, non uni influit, neque imaginatio, quæ sæpe non adest, neque sympathia, quæ millies intercipitur, ad determinatam in toto particulam eam ducet. Quod si igitur plura fuerint in corpore vulnera pluribus telis facta, unum exempli gratia in femore, alterum in brachio, licet unum tantùm ita curetur, an ad omnia virtus feretur & quod sanabile est, sanabit? At si ita vis naturalis in corpore sibi simili citra electionem in omnia vulnera ageret, ὀπλιατρία maxima ex parte caderet. Nam quorsum opus erit, ex hac potiùs, quàm ex alia parte accipere sanguinem?

XLIII. Imaginationem verò & conceptam patientis fiduciam quod attinet, negandum non est, multum hanc in morborum curatione adjumenti afferre, & curationem faciliorem reddere: non quidem per se directè, & propriâ virtute, cùm potentia tantùm cognoscens sit, nec præter cognitionem effectivè aliquid agat, sed tantùm per accidens, dum per imaginationem & bonam fiduciam spiritibus & calore, ut primis animæ instrumentis, quibus humores & corpus solidum conjuncta sunt, commotis vires naturaliter ad ipsum locum affectum diriguntur, & curæ insuper aliæq; perturbations, quæ medicationi perfectæ non parum obstant,

stant, avertuntur. At magnetem ultra mille milliaria, quicquid vult, attrahentem imaginationem esse, & animam humanam, forti imaginatione vel intenso affectu etiam alienum corpus afficere posse, ut Paracelsi somniant, nos non concedimus; cum nulla hujus rei dari possit experientia, & ratio repugnet. Eius enim actio in homine immanens cum sit, in alia non transit, nec per se in aliena & remota corpora agere, aut aliquid extra hominem immutare potest: sicut nec intellectus aut voluntas unquam extra facultates suas erumpunt in aliquod extraneum.

XLIV. Cætera quæ eos afferre diximus, parum etiam probabilia sunt: imò mera sunt postulata, quæ tamen dubitationem non effugiunt. Quis enim facile concesserit, spiritus vitales ex arteriis, naturales ex venis sursum ferri, ibiq; cum animalibus in unum coagulari, temporis demum progressu ad cranii circumferentiam eluctari? Quis spiritus vitales, animales, & naturales absque anima, cujus sunt instrumentum, superstites manere credat, ipsis canalibus & locis, in quibus generantur, corruptis? Quis non a putridis cerebri vaporibus, si relinquerentur, vehementer vitiari concesserit? Quis in cranio, si erumpant, remanere credat: cum sint tenuissima corpora? Et quid opus est vehiculis istis (pluviis, rore, nive, pruina) spiritui mundi, cum is per omnia diffusus sit, an non intra cranium cum iis conjungi potest? aut an non illi partibus interioribus corruptis viam convenientiorem habent, per quam effugere possint, quam densum illud cranium, quod in demortuis redditur adhuc densius? Tacemus, quòd an ex craniis suspensorum petita usnea, quam pro hoc unguento conficiendo eligendam esse volunt, haberi queat, dubitare liceat: quandoquidem Guil. Fabricius, obs. chirurg. cent. 1. epist. 27. non tantum de seipso fatetur, se intra annos 38, a quibus praxi chirurgicæ incubuerit, nunquam illic eam reperire aut videre potuisse, sed & unam atque alteram rationem adducit, cur craniis suspensorum usneam adnasci posse vix sibi persuadere possit.

XLV. Eodem modo de sanguine magna adhuc dubitatio est. An non spiritus volatiles, qui effugiunt, nobilissima sunt pars

sanguinis, quã amissã sanguis multo ignobilior redditur? Et licet concedantur omnia, nimirum fieri isto modo usneam: sal fixum etiam ex unguento attrahere spiritum animale; tamen nondum videmus, cur spiritus animalis hominis ignoti, & per aliquot milliaria interempti convenientiam habere possit cum spiritu animali hominis vulnerati? Neque enim omne id, quod ex cadavere humano desumitur, ad omnis individui vulnera sananda facere posse verisimile est. Sicut enim in aliis, ita & inter homines *δυσπαθείαι* reperiuntur plures: ut taceamus, quod interdum ex sano, interdum ex morbido cadavere sumatur. Si verò hominis vulnerati spiritus animalis esset in unguento, probabilior aliquantum videretur hæc ratio.

XLVI. Deinde cum facultates sint qualitates emanantes, & ubicunq; anima est, ibi etiam habeat suas facultates; ubi autem non est anima, ibi etiam non sint amplius facultates: videre nondum possumus, quomodo sensus possit remanere in isto spiritu, ubi tamen anima jam longè abiit: præsertim cum spiritus non sit adæquatum sensus instrumentum. Uti enim pars non sentit, nisi spiritus animalis adsit: ita nec spiritus animalis ad sensum aliquid facere potest, nisi adsit membrum aptè dispositum.

XLVII. Sunt deniq; ex recentioribus nonnulli, qui ideo curationem hanc pro impostoria vel magica habendam non esse volunt, quod sanguinis, qui ex vulnere hic requiritur, natura, vis magnetica & harmonica mira sanè sit, utpote cujus beneficio biolychnium sive lampas vitæ & mortis, in qua tanquam in fatali lumine omnis hominis fortuna, affectus, morbi, & tandem ipsa mors observari possit, conficiatur, & plura miranda alia, de quibus Jo. Ernestus Burggravius agat, perfici possint, ut si modò illa alicui nota sit, is omnem superstitionem hinc abesse facile percepturus sit. Dari præterea addunt ejusmodi magneticas curas plures, imò plurimas, & alios mirandos naturæ effectus, cujus generis plurima idem Burggravius in Achille *παινόπλω* redivivo congefferit, quos, etsi causæ eorum lateant, Diabolo acceptos referre impium sanè sit.

XLVIII. Verùm quid aliud hoc est, quàm principium petere, & dubium per æquè dubium probare velle? Nam, ut Cl. Sennerti de
Chy-

Chymicor. cōf. & diff. c. 18. verbis utamur, lampas illa vitæ & mortis portentosa est, & si hæc nō est pyromantia, nescimus nos, quid pyromantia sit. Et an non talis artifex Deo æquiparatur, qui solus corda & animi affectus scrutatur, & cui soli dies vitæ & mortis nostræ noti sunt? Quo loco & reliqua, & inter ea armatura Martia, quam in valida dispositione Martis ex 7 metallis sub suis sideribus assumptis & præparatis, opere ipso fabrili, intentione, verbis & habitu omnibus Martialiter se habentibus, ad vim hostilem avertendam hostesq; in fugam vertendos idem Burggravius pollicetur, habenda sint, viri docti & prudentes norunt. Validam sanè phantasiam & verba valdè potentia eum habere oportet, ut in ipsum chalybem agere possint.

XLIX. Quæ cum ita sint, nihil amplius restat, nisi ut totam hopliatriam vel impostoriam vel magicam esse concludamus, & ita statuamus, vel merè naturaliter sanari vulnera in hac curatione; minimè tamen per vim istius inunctionis telorum, sed beneficio quotidianæ vulneris repurgationis & exsiccationis: (quam ad rem tamen etiam patientis imaginationem & conceptam fiduciam eo, quo supra dictum, modo aliquid facere posse non negamus; quamvis per hanc ipsam, de qua hæctenus egimus, curam etiam alios, qui nihil aut parum fiduciæ habent, curari experientia testetur, & hoc unguento vulnera, etiam si ejus rei inscius sit æger, æquè sanari ipsi hopliatri concedant) vel concurrente Diabolo, qui quidem nec ipse per unguentum illud eo modo adhibitum curet (neq; enim potest) sed unguentarios istos irridens & subsannans unguenti activa passivis applicet in vulneris loco, vel interea clanculum aliquod aliud remedium, cum Medicinæ omnis sit callentissimus, adhibeat & occulto modo sanationem perficiat, idq; vi pacti, quod hac de causa iniit cum eo, qui primus eam disciplinam ab ipso accepit, & ceremonias istas, sive magicas sive impostorias & ad speciem confictas eas quis nominare velit, ex ejus præscripto usurpare cœpit.

L. Nec valet argumentum Basilii Valentini, & aliorum: Ingredientia hujus unguenti omnia sunt merè naturalia, nulli adhibentur characteres, nullæ consecrationes, conjurationes & incantationes, aliavè illicita & prohibita media, quæ in naturam
aut

aut DEUM, & sacrosanctum ejus verbum impingunt, & alias
in curis magicis requiruntur. Ergo non est magicum. Quasi dia-
bolus se non posset sub natura occultare, & non æquè pactum
suum habere in rebus naturalibus, ac in characteribus & verbis.
Neque enim pensi habet quicquam, sumatnè ad istas imposturas
suas perficiendas imagines, characteres, verba, an unguenta aut
alias res. Hoc unum quærit, ut seducat: quod si assequitur, satis
est. Alias hoc ipsæ etiam Sagæ unguentum suum, quod, dum per
aëra vehuntur, adhibent, magicum non esse probare possent. O-
mnes actiones magicæ demum & præstigiæ diabolicæ naturali-
um caussarum prætextu & magneticarum curationum pallio ve-
laripossent. Minus etiam rectè idem Basilus Valentinus ideo
neutiquam diabolicam hanc esse curam censeret, quod diabolus ad
perdendum potius genus humanum, quàm juvandum incitetur,
quod etiam citra divinam promissionem ei impossibile sit factu.
Stramineum argumentum. Quasi hoc non sit hominem per-
dere, sublato corporis vulnere gravissimum animæ inferre mor-
bum. Crollius quidem etiam per veneficium perfici hanc curam
negat, atque imperitos & fatuos tale quid opinari scribit. Verùm
hanc calumniam retorquemus in ipsum, & imperitum ac fatuum
eum pronunciamus, qui naturaliter per vim istius telorum inun-
ctionis hanc curam perfici credat & aliis persuadere cupiat. Et o-
mnino à magia nec ille excusandus est, qui credit naturalem qui-
dem esse sanationem, at quæ perficiatur vi istius inunctionis telo-
rum. Falsum enim dum statuit, à vero aberrat & vim illi tribuit,
in quo nulla est, magos ita inscius imitatus. Nihil enim obstat,
quin ad suum finem obtinendum etiam justos fallat


**Dæmon. Sed sapientibus sat
dictum.**

05 A 317

ULB Halle

3

004 209 745



1017





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

19

M. A.

De

SISTARUM

LENTO

ARIO

philosophico-Medica,

quam

S I D E

IO PELSHOFERO, D.

Professore P. & p. t.

Decano

in auditorio Medico

ndendo defendet

Y M U S W E C K E R

abergensis.

metaph. c. 6.

τὸ Φαινόμενον ἀληθές.

od apparet, verum est.

ittenberga

Hæredum JOH. GORMANNI,

M. DC. XXX.

